



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LXII. Non'ne Deo subiecta erit anima mea? &c, Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

A Vdi uocantem me bonus, & meis
Intentus aurem da precibus Deus.

Proiectus oris orbis in ultimis,

Ad te recurram rebus in asperis.

Me fiste rupis culmine in arduo

Procul periculis, semper enim tui

Spe fretus, hostis tutus ab impetu

Munitæ ut arcis præsidio fui.

Tentorio fac semper ut in tuo

Degam, sub alis protegar & tuis:

Qui lenis aurem das precibus meis,

Qui uota lætum ducis ad exitum,

Frenare sceptris te metuentium

Hereditatem das mihi: regię

Tu longa uitæ tempora porrigens,

Nectes peractis sæcula sæculis:

Securus ut te perpetuò colat

Rex, liberalem porrige dexteram

Fortuna in omni: quaq; soles fide

Fac ut fruatur pollicitis tuis.

Actum periculis liber ab asperis,

Te uoce, dulci te cythara canam

Pacti tenacem, & munificum tuis,

Et uota ad aras perpetuò feram.

PSAL. LXII. Non'ne Deo subiecta erit
anima mea? &c, Carm. gen. 3.

Mens acquiescit unicè mea in Deo:

Hinc spes salutis, arduis

In rebus arx hæc: tutus hoc munimine

Nullum tremiscam ad impetum.

H ij

Quousq3 tectis fraudibus subuertere
Innoxium tentabitis?

Pœnas daturi mox & ipsi, improvidi
Iamiam imminentis exitus.

Proni in ruinam incumbitis, ceu mœnia
Saxis solutis putria.

Et interim omnes corporisq3 & ingeni
Vires eo contenditis.

Vobis placetis fabulis uanis, gradu
Turbetis impij ut pium.

Cùm deuouetis corde tacito: propalãm
Laudatis ore subdolo.

At tu acquiesce mens mea in Deo tamen:
Hinc spes salutis, arduis

In rebus arx hæc: tutus hoc munimine
Nullum tremiscam ad impetum,
Spes inde uitæ & gloriæ pendet meæ,
Et roboris fiducia.

Quocunq3 cæli gens colis sub fidere,
Huic crede rem, sobolem, domum.

Omnes ad illum mentis ægritudines,
Et læta defer & refer:

Semperq3 prælens numen eius omnibus
Adesse cœptis senties.

Ventosa regum & principum potentia
Est uanitate uanior,

Adeoq3 fumo leuior: ut si principum
Hac lance uires omnium,

Inanitatem hac colloces, cunctis simul
Inanitas præponderet,

Ne firma spera parta per uim: ne nimis
Confide

Confide stultis uiribus.

Opes abundant affluenter? ne bonis

Da rebus animum credulum.

Semel est professus: nec semel tantum Deum

Id profitemem audiuius,

Se posse solum cuncta, se solum bonum,

Et arbitrum rerum unicum:

Bonis benignum semper & placabilem,

Malisq; formidabilem.

PSAL. LXIII. Deus Deus meus ad te de

luce uigilo, &c.

Carm. gen. 18.

DEus, salutis auctor & custos meæ,

Te ueneror roseus quū fugat astra dies.

Te mens anhelat, membra sitiunt languida,

Terra uelut pluuias arida quærit aquas.

Quamuis arenas aridas æstu colam,

Præsentem Dominum mēs uidet usq; meū,

Non aliter, adyta arcaña quàm si conspicer,

Numinis adseruant quæ monumenta tui.

Nec dulcis æquè uita est quàm benignitas

Qua uitam munis prosequerisq; meam.

Ergo remotis dislitus quamuis locis,

Præsidio tutus te celebrabo tuo:

Tui sonabunt nominis præconia

Quæ dederis uitæ tempora cunq; meæ.

Nec uictus æquè recreat corpus, tua

Excitat ut mentem laus celebrata meam,

Tu nocte carmen, manè tu carmen mihi es:

Tu trepido præsens fers mihi semper opē.

Securus alis conquiesco sub tuis:

H iij